

PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXIX - N. 2

2007

COMMUNICATIO^NE^S
**PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS**
Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 2007

Tariffa R.O.C. - Poste Italiane S.p.A. - Spediz. Abb. Postale D.L. 353/2003
(Conv. in L. 27/02/2004) - art. 1 comma 1 - DCB Roma

EX ACTIS BENEDICTI PP. XVI

Litterae Apostolicae motu proprio datae <i>Summorum Pontificum</i>	175
Allocutio Summi Pontificis ad Sodales Commissionis Theologicae Internationalis, die 5 octobris habita	180
Allocutio Summi Pontificis ad Collegium Postulatorum causarum beatificationis et canonizationis Congregationis de Causis Sanctorum die 17 decembris habita	183

EX ACTIS CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	186
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS	188

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SECRETARIA STATUS	
Allocutio de themate "Status iuris" ad VI Comitatum 62 ^a sessionis Conventus Generalis Nationum Unitarum Coetus a moderatore delegationis Sanctae Sedis habita	190

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI	
Responsa ad quaestiones de aliquibus sententiis ad doctrinam de Ecclesia pertinentibus (die 29 mensis iunii)	193
Responsa ad quaestiones ab episcopali Conferentia Foederatorum Americae Statuum propositas circa cibum et potum artificialiter praebenda (die 1 mensis augusti)	198
Nota dottrinale su alcuni aspetti dell'evangelizzazione	204

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM	
Responsa ad dubia proposita	219

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM	
Instructio <i>Sanctorum Mater</i>	221

PONTIFICIUM CONSILIUM AD UNITATEM CHRISTIANORUM FOVENDAM	
«The Ravenna Document»	269

EX EPHEMERIDE L'OSSERVATORE ROMANO	
Articulus explanans «Responsa» a Congregatione pro Doctrina Fidei die 29 iunii 2007 data	284

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS
CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum «De Processibus» (Sessio VIII)	291
Coetus studiorum «De Processibus» (Sessio IX)	313
NOTITIAE	334
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	335

COETUS STUDII
«DE PROCESSIBUS»

Sessio IX^a
(diebus 16 – 21 martii 1970 habita)

Diebus 16-21 martii 1970, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas de iure processuali.

Sessioni intererant Exc.mi DD. Aurelius Sabattani et Ioannes Kaldany; Ill.mi ac Rev.mi Carolus Lefebvre, Iosephus Pinto, Ioannes Barry, Stephanus Kelleher, Iosephus de Castro Nery et Elias Jarawan; Rev.mi PP. Christophorus Berutti et Eduardus Regatillo; necnon Rev.mus P. Raimundus Bidagor, Secretarius Commissionis et Rev.dus D. Franciscus Voto, actuarius.

Primae, tertiae et sextae adunationibus praefuit Em.mus Card. Pericles Felici, Praeses Commissionis; caeteris adunationibus praefuit Rev.mus P. Bidagor.

Quaestio a Secretaria Commissionis proposita erat *de causis matrimonialibus*, quaenam scilicet sint mutanda, tollenda vel addenda in normis de causis matrimonialibus (cann. 1960-1992 CIC et Const. Ap. *Provida Mater*).

Sequentes Consultores votum paraverunt: Kaldany, Lefebvre, Pinto, Barry, de Castro Nery, Jarawan, Berutti, Regatillo.

Exc.mus Sabattani, Relator, relationem supra vota Consultorum scripto apparavit.

Adunatio I^a
die 16 martii 1970 mane habita

Em.mus Cardinalis Praeses omnibus Consuloribus salutem dicit et querit num ipsi Relationem laborum VIII^{ae} Sessionis probent quod attinet sive ad integritatem, sive ad veritatem eorum quae referuntur.

Omnes Consultores Relationem approbant.

Deinde petit ab Rev.mo Relatore ut quaestiones tractandas proponat.

Rev.mus Relator quasdam quaestiones praeliminaries facit.

1. *De loco causarum matrimonialium in novo Codice*

Ex suggestione, quam habet Rev.mus primus Consultor in suo voto, ponendi nempe sectionem de causis matrimonialibus primo loco in libro de processibus, Rev.mus Relator occasionem sumit redintegrandi quaedam principia iam a nostro Coetu discussa et approbata. Id est successio sectionum et titulorum debet respondere cuidam ordini intimae logicitatis, ideo antea poni debet genus et postea species. Quapropter merito in Sessione VII^a decisum est ut antea ponantur processus generales typici (contentiosus, criminalis, administrativus) et dein processus speciales (qui in aliquo deflectunt a typis), inter quos primum locum tenent causae matrimoniales.

Hoc systema favet quoque brevitiati tractationis; nam quoad processus speciales sufficit declarare in lege cuinam processui typico accenseantur et in quibus ab eodem discrepent.

Rev.mus secundus Consultor animadvertisit processum matrimoniale non esse contentiosum: ideo nulli processui typico accensendum esse. In processu enim matrimoniali pars potior pertinet ad coniuges qui ex tribunali propriae conscientiae iudicium ferre debent de validitate vel nullitate proprii matrimonii. Quod quidem iudicium sanctionem auctoritatis ecclesiasticae obtinere certo debet, at auctoritas publica ecclesiastica magis ac magis attenta esse deberet vitae interioris Ecclesiae, ita ut illa sanctio sit sanctio *verae Ecclesiae Christi*.

Em.mus Praeses Rev.mum secundum Consultorem rogat ut afferat in discussione argumenta iuridica. Quod autem processus matrimonialis peculiaribus exigentiis respondere debeat nemo est qui dubitat; ideo de ipso normae peculiares condi debent, ob quas talis processus deflectit a typo et *processus specialis* vocatur. At omnes normae indolem iuridicam habere debent.

Rev.mus Secretarius dicit fallaciter motam esse quaestionem de natura processus matrimonialis ut exinde ansa habeatur petendi peculiarem et atypicam constructionem talis processus. Ad rem quod attinet processus matrimonialis ex denominatione extrinseca communiter vocatur processus contentiosus. Si vero ad rationem intrinsecam attendatur, secundum casus, potest esse contentiosus vel administrativus et, non raro, ipse processus deficit quia proceditur ex gratia.

2. *De divisione interna materiae*

Rev.mus Relator dicit necessariam esse aptiorem et clariorem distributionem intimam huius sectionis de causis matrimonialibus. Nam, nunc,

te can. 1970, habetur inscriptio: « De iure accusandi matrimonium et postulandi dispensationem super rato ». Et reapse in toto titulo permiscentur canonies, quorum alter regit causas nullitatis, alter vero processum dispensationis, ita ut obvia sit confusio.

Ideo Rev.mus Relator proponit ut titulus « De causis matrimonialibus » contineat quattuor sectiones, nempe:

- de causis nullitatis matrimonii;
- de processu dispensationis super rato;
- de processu solutionis matrimonii in favorem fidei;
- de causis separationis.

Quoad tertiam et quartam sectionem manere debent in libro « De matrimonio » tantummodo principia generalia substantiva, quae regunt casus de dissolutione vinculi et de separatione; omnes vero normae processuales transferri debent ad nostram provinciam, praebendo conspectum brevem, sed plenum — qui nunc deficit omnino — evolutionis horum processuum.

Propositio Rev.mi Relatoris omnibus placet.

3. *De methodo adhibenda in constructione processus matrimonialis*

Rev.mus Relator animadvertisit quod Consultores in suis votis diversa omnino ratione egerunt:

- a) quidam indicem tradiderunt singulorum articulorum Instr. *Provida Mater*, edicendo quoad singulos: « retineatur » vel « supprimatur »;
- b) alii Consultores adhuc steterunt in principiis generalibus, iuxta quae codificatio de huiusmodi causis in futuro fieri contingat;
- c) alii, demum, sumendo tamquam basim recognitionis canonies 1960-1992 CIC, novos textus proponunt, allegando rationes novae redactionis.

Hanc novissimam methodum Rev.mus Relator dicit validam et adhibendam in praesenti Sessione, praesertim his de rationibus:

- criteria generalia iam examinata fuerunt et selecta in praecedenti Sessione.
- Instructio *Provida Mater* non debet fieri Codex, quia novus Codex principiis generalioribus (et non minutis determinationibus) regi debet.

– Canones de procedura matrimoniali debent solum referre puncta in quibus singulae huiusmodi causae deflectunt a processibus typicis quibus assimilantur.

Consultores concordant cum Rev.mo Relatore, attamen sequentes annotationes faciunt:

Rev.mus tertius Consultor notat quod in Instr. *Provida Mater*, praeter normas minutissimas, quae «regolamento» sapiunt, quaedam exstant normae generaliores quae complent normas CIC; tales normas transferre oportet in novum Codicem.

Consultores et ipse Rev.mus Relator concordant cum Rev.mo tertio Consultore.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut quaedam instructio similis Instr. *Provida Mater* appendatur sectioni de processu matrimoniali, ita ut omnibus praesto sit aliqua norma practica in conficiendis processibus matrimonialibus.

Em.mus Praeses respondit propositionem Rev.mi quarti Consultoris opportuno tempore examinandam esse. In praesenti apud S. Congregationem de disciplina Sacramentorum fit recognitio Instr. *Provida Mater*. Quando nova Instructio prodibit, tunc tempus erit examinandi propositionem Rev.mi quarti Consultoris.

CAPUT I

De causis nullitatis matrimonii

ART. 1 – *De foro competenti*

Can. 1960: De iure exclusivo Ecclesiae quoad causas matrimoniales baptizatorum

Rev.mus quintus Consultor non negat veritatem doctrinalem formulae huius canonis CIC, sed putat in hodierna societate pluralistica non posse ita simpliciter dici, prout est in formula canonis, quin offendatur spiritus oecumenicus. Ideo proponit ut dicatur: «Causae matrimoniales *inter fideles*» loco inter baptizatos».

Em.mus Praeses dicit propositionem Rev.mi quinti Consultoris per se acceptari posse; dubitat autem num talis solutio utilis sit.

Rev.mus quartus Consultor censet quod, si apud acatholicos habentur processus matrimoniales, nos abstinere debemus ab edicenda exclusivitate iuris Ecclesiae in tractandis causis matrimonialibus.

Rev.mus Secretarius animadvertisit codificatores CIC affirmasse in can. 1960 competentiam exclusivam Ecclesiae contra iura status; minime habuisse prae oculis iura acatholicorum.

Rev.mus quartus Consultor concordat cum Rev.mo Secretario et concludit verbum «exclusivo» in can. 1960 omitti posse ob rationes *oecumenicas* et quia in hac parte Codicis non est cur sententiae iuris publici intelligatur.

Rev.mus tertius Consultor timet ne suppressio illius verbi intendatur tamquam relaxatio exclusivitatis competentiae Ecclesiae in favorem Status, qui sibi arrogat ius statuendi legem divortii; dum e contra, attento etiam can. 1016, Statui tantum competunt causae quae pro obiecto habent effectus matrimonii separabilis.

Em.mus Praeses et Rev.mus Secretarius censem quod suppressio illius verbi obiective nullam mutationem inducit in disciplinam Ecclesiae; ratio suppressionis provenit tantum ex exigentiis oecumenismi. Posset ergo pro nunc illud verbum supprimi et iudicium circa opportunatatem talis suppressionis demandari superiori instantiae.

Suffragatur placeatne supprimere verbum «exclusivo» in can. 1960: omnibus placet, excepto Rev.mo sexto Consultore.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut dicatur «baptizatorum» loco «inter baptizatos» ita ut norma omnes casus matrimonii mixti comprehendat.

Rev.mus quintus Consultor censem quod quis non potest submitti iurisdictioni Ecclesiae catholicae per solam receptionem baptismi; oportet ut etiam «persona christiana sit formata» in Ecclesia catholica ut habeatur plena subiectio. Illi, quorum «persona christiana» formata sit in sectis acatholice, non subduntur iurisdictioni Ecclesiae catholicae.

Em.mus Praeses monet Rev.mum quintum Consultorem ne indulgeat in hac sede theoriis, quae non accipiuntur a Magisterio Ecclesiae. Lex enim canonica fundari debet in veritatibus quae sustinentur vel a iure naturali vel a revelatione prout ab Ecclesia proponitur.

Suffragatur placeatne propositio Rev.mi septimi consultoris:
placet n. 7; non placet n. 3.

Rev.mi secundus et primus Consultores vellent extendere talem competentiam Ecclesiae etiam circa matrimonia infidelium, ideo proponunt hanc formulam: «causae matrimoniales non baptizatorum possunt a iudice ecclesiastico cognosci, postulante alterutra parte».

Rev.mus quintus Consultor consentit cum Rev.mis secundo et primo Consultoribus.

Omnis alii Consultores propositionem respnuunt, quia nullum datur fundamentum iurisdictionis Ecclesiae circa matrimonia infidelium.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur «... ad forum ecclesiasticum spectant», loco «ad iudicem ecclesiasticum» (placet n. 1; non placet n. 9).

Formula can. 1960 sequens erit: «Causae matrimoniales baptizatorum iure proprio ad iudicem ecclesiasticum spectant».

Adunatio II^a
die 16 martii 1970 vespere habita

Can. 1961: Causae de effectibus mere civilibus matrimonii

Rev.mus Relator hanc formulam proponit: «Causae de effectibus matrimonii mere civilibus pertinent ad civilem magistratum, nisi ius particolare statuat easdem causas, quando incidenter et accessoriae agantur, posse a iudice ecclesiastico cognosci ac definiri».

Agitur enim de causis quae pro obiecto habent effectus *mere civiles* matrimonii ut dotem, alimenta, successionem, donationem etc., ergo legitime regula generalis statui potest de competentia civili immediata.

Rev.mus septimus Consultor exceptionem facere vellet pro causis de alimentis, siquidem illae causae intime nectuntur cum causis de separatione, quae sunt causae spirituales.

Sed omnes alii Consultores concordant cum Rev.mo Relatore et formulam ab ipso propositam approbant. Ipse Rev.mus septimus Consultor tamen non insistit in sua propositione et formulam approbat.

Can. 1962: Variae competentiae quoad causas matrimoniales

Rev.mus Relator hanc formulam proponit: «Causae matrimoniales, cuiuslibet naturae, ad eos spectantes de quibus in can. 1557, § 1, n. 1, illa Congregatio vel Tribunal aut specialis Commissio exclusive cognoscit, cui eas Summus Pontifex in singulis casibus commiserit».

Rev.mus tertius Consultor censet verba «cuiuslibet naturae» esse superflua, ideo Rev.mus quartus Consultor proponit ut dicatur: «Omnes causae matrimoniales, ad eos spectantes etc....».

Formula proposita, cum emendatione Rev.mi quarti Consultoris, omnibus placet.

Can. 1963: Delegatio S. Sedis ad processum super rato

§ 1 huius canonis transferenda est in sectione de processu dispensationis super rato; de materia § 2 sermo erit in titulo de instantia causae.

Can. 1964: Competentia ordinaria in causis nullitatis

Revisio huius canonis plures quaestiones involvit:

- 1) De servando, vel minus, principio «actor sequitur forum rei».

Omnes Consultores, excepto Rev.mo secundo Consultore, hoc principium servare volunt quia respondet aequitati. Pars enim conventa ius habet sese defendendi et ex aequitate oportet ut hoc ius exercere valeat cum minimo incommmodo. Ceterum apud omnes legislationes hoc principium servatur et absonum esset quod in frequentiore processu canonico vim non haberet.

Rev.mus secundus Consultor vero censet hoc principium negligi posse in hac materia, quia partes saepissime colludentes sunt.

- 2) De abolendo foro quasi domicilii.

Omnes Consultores concordes sunt ut aboleatur forum quasi domicilii, quia eius usus dedit ansam multis abusibus.

- 3) De abolenda dispari consideratione catholicorum et acatholicorum.

Rev.mus Relator, spiritui Concilii Oecumenici Vaticani II adhaerens, proponit ut nullum privilegium concedatur parti catholicae quoad forum competens.

Omnes Consultores concordant.

Adunatio III^a
die 17 martii 1970 mane habita

Alias quaestiones proponit Rev.mus Relator circa revisionem can. 1964.

- 4) De consideranda commoratione tanquam titulo competentiae fori.

Rev.mus Relator animadvertisit quod uxor conventa, non legitime separata, damnum pati potest a titulo competentiae ex domicilio necessario, quod servet apud maritum. Ideo melius est abstrahere a domicilio et ab eius implicationibus, et considerare locum commorationis non praecariae, quae quidem constare debet ex aliquo publico regesto.

Rev.mi quintus et secundus Consultores asserunt in regionibus anglosaxonibus non extare publica regesta quae huic necessitati occurrere possint.

Sed Rev.mus tertius Consultor censet quod criterium commorationis non praecariae acceptari potest, quia ubi desint regesta publica adhiberi possunt testes factum commorationis probantes.

Rev.mus primus Consultor exigere vellet commorationem «*habitualēm*» ad constituendum titulum competentiae fori, sed Rev.mi Relator et tertius Consultores censem sufficere commorationem «non praecariam».

Rev.mus octavus Consultor suam dubitationem exprimit circa hanc solutionem, quia timeri possunt eadem incommoda forsan obfutura ac in solutione quasi-domicilii.

Rev.mus Secretarius negat eadem incommoda verificari posse, quia in hac nova solutione *ad factum* commorationis tantum attenditur, dum in quasi domicilio attendebarit etiam *ad animum* commorandi.

Rev.mus sextus Consultor censet omnia incommoda orta esse ex titulo *quasi domicilii*. Cum autem nos hunc titulum supprimere intendimus, non est cur etiam de domicilio quaestionem faciamus retinendum sit necne tamquam titulum competentiae fori.

Rev.mus Relator proponit ut in can. 1964 adhibeatur haec formula quoad competentiam iudicis ex titulo commorationis partis conventae: «Tribunal loci in quo pars conventa commorationem non praecariam habeat, quae ex aliquo publico regesto vel alio legitimo modo probari possit»: placet n. 8; placet iuxta modum n. 2.

5) De condendo novo titulo competentiae ex faciliore causae instruzione.

Rev.mus Relator, propositionem Rev.mi octavi Consultoris sequens, proponit ut causa matrimonialis instrui possit in loco ubi de facto colligendae sunt pleraque depositiones seu probationes.

Nam, dicit Rev.mus Relator, haec norma aliquando utilitatem praestare potest, praesertim ad vitandas diuturnas rogatorias, adhibita tamen aliqua cautela, ne quis de facto possit iudicem in sua causa seligere. Cautela sequens esse posset: tribunal, antequam causam admittat, exquirat a parte conventa num aliquid excipiendum habeat contra forum aditum a parte actrice.

Rev.mus sextus Consultor querit in libello litis introductorio exprimi debeant necne rationes ob quas pars tale forum adiit.

Rev.mus Secretarius respondit id semper fieri debere in libello introductorio, quia primus actus quod competit iudici est ut videat rem esse suee competentiae.

Rev.mus tertius Consultor animadvertis propositionem Rev.morum Relatoris et octavi Consultoris, prima facie, optimam apparere posse. At

quid evenit si advocatus antea praeparet testes in aliquo loco et postea partem atricem inducat ut adeat tribunal illius loci?

Rev.mus octavus Consultor censet quod alia cautela imponi posset, ut nempe habeatur consensus Ordinarii ad illud tribunal adeundum.

Praeterea Rev.mus Secretarius censet quod hic novus titulus, ita delineatus, utilitatem afferre posset tantum divitibus, minime vero pauperibus.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut adiri possit tribunal «in quo, iudicio praesidis, causa facilius peragi potest».

At Rev.mus Relator, contra Rev.mum quintum Consultorem, opponit quod hoc iudicium praesidis fulciri posset argumentis validis sed etiam argumentis fallacibus, ex.gr.: maior scientia ipsius iudicis (a se ipso recognoscenda!), aptior tribunalis ordinatio, forum minus a causis oberatum, commoratio patroni apud illud tribunal et forsitan amicitia actoris cum membris tribunalis...

Rev.mus septimus Consultor proponit ut competens sit tribunal «loci in quo *facilius probationes causae colliguntur*».

Em.mus Praeses censet aliquam formulam redigi posse qua dicatur competens esse tribunal loci in quo facilis et celerius iudicium peragi potest, dummodo adsit consensus sive Ordinarii loci et iudicis fori necessarii sive Ordinarii et iudicis ad quem.

Post longam discussionem, aliqui Consultores dicunt se acceptare, quoad substantiam, propositionem Em.mi Praesidis.

Adunatio IV^a die 17 martii 1970 vespere habita

Rev.mus Relator dicit quod, ad sensum propositionis ab Em.mo Praeside factae et ab aliquibus Consultoribus acceptatae, formula ad novum titulum competentiae delineandum ita redigi posset: «Competentia determinatur per decretum iudicis, cui libellus exhibetur, quo edicitur suum tribunal causam definire posse. In hoc tamen casu requiritur consensus tum Ordinarii loci et iudicis a quo, tum Ordinarii loci et iudicis ad quem».

Plures Consultores inopportunam et periculosam censem normam qua tribuatur iudici arbitrium decidendi habilitatem sui tribunalis circa aliquam causam definiendam.

Rev.mus Relator affirmit necessitatem eruendi propositum novum titulum competentiae ex circumstantiis obiectivis, non ex persuasione subiectiva iudicis. Circumstantia autem obiectiva consistere posset ex. gr. in eo quod pleraque probationes colligendae sint in loco qui sit in ambitu iurisdictionis tribunalis aditi.

Ideo Rev.mus Relator hanc formulam proponit: «(Competens est) tribunal loci in quo de facto colligenda sunt pleraeque depositiones seu probationes, accedente consensu tum Ordinarii loci commorationis partis conventae, tum Ordinarii loci et Praesidis tribunalis aditi»: placet n. 8; placet iuxta modum n. 2.

Modi: 1) dicatur «dummodo accedat consensus» loco «accedente consensu» (Rev.mus septimus Consultor). Modus omnibus placet.

2) dicatur: «tum praesidis tribunalis aditi» loco «tum Ordinarii loci et praesidis tribunalis aditi» (Rev.mus quintus Consultor): placet n. 3 ; non placet n. 7.

His dictis, Rev.mus Relator legit integrum formulam can. 1964, § 1:
«In aliis causis nullitatis matrimonii competens est:

1° Tribunal loci in quo matrimonium celebratum est, vel

2° Tribunal loci in quo pars conventa commorationem non praecarium habeat, quae ex aliquo publico regesto vel alio legitimo modo probari possit, vel

3° Tribunal loci in quo de facto colligenda sunt pleraeque depositiones seu probationes, dummodo accedat consensus tum Ordinarii loci commorationis partis conventae, tum Ordinarii loci et praesidis tribunalis aditi».

Deinde Rev.mus Relator proponit formulam § 2 quae omnibus placet:

«In casu de quo in praecedenti n. 3, tribunal, antequam causam admittat, exquirat a parte conventa num quid excipiendum habeat contra forum aditum a parte actrice».

Rev.mus septimus Consultor proponit quod causa matrimonialis, ante conclusum in causa, possit ad aliud tribunal competens transferri.

Rev.mi quintus et secundus Consultores concordant cum Rev.mo septimo Consultore.

Rev.mo Relatori vero propositio non placet quia, dicit ipse, si causa aliqua migrat, id certo non fit in favorem iustitiae, sed ad inveniendum locum mitioris resistentiae.

Rev.mus tertius Consultor animadvertisit quod in CIC suppressum fuit forum prorogationis ad tollendos abusus; nunc vero non tantum ripristinatur forum prorogationis sed etiam possilitas transferendi causam ad aliud tribunal proponitur: quod videtur nimium.

Rev.mus Secretarius, contra Rev.mum tertium Consultorem, notat quod situatio historice valde mutata est; nunc enim migrationes populo-

rum valde frequentes sunt, quare opportune praevideri potest in lege casus translationis causae ad aliud tribunal, ad quod partes commode accedere possint.

Post aliquam discussionem omnes Consultores approbant propositio-nem Rev.mi septimi Consultoris et ideo Rev.mus Relator hanc formulam redigit:

« § 3. Mutatis substantialiter circumstantiis aut locorum aut personarum de quibus in § 1, nn. 2, 3, instantia ante conclusionem in causa potest transferri in casibus particularibus de uno ad aliud tribunal aequa compe-tens, si accedat consensus partium et utriusque tribunalis».

Rev.mus sextus Consultor vult possibilitatem transferendi causam non tantum in casibus de quibus in nn. 2 et 3 (§ 1), sed etiam in casibus de qui-bus in n. 1, nempe quando causa stet ante tribunal loci celebrationis, quia etiam in hoc casu mutare possunt substantialiter circumstantiae ob quas il-lud tribunal aditum fuit; circumstantiae extrinsecæ sane quae non afficiunt ipsum titulum competentiae (forum contractus).

Post brevem discussionem, omnes concordant cum Rev.mo sexto Con-sultore et ideo Rev.mus Relator primum comma formulae ita mutat: « Mu-tatis... circumstantiis aut locorum aut personarum de quibus in § 1, in-stantia...».

Formula omnibus placet.

Praeterea Rev.mus septimus Consultor aliam paragraphum addere vel-let, in qua edicatur per successivam mutationem residentiae non tolli aut suspensi competentiam tribunalis.

Rev.mus Relator respondit quod iam providet can. 1725 n. 2: (per ci-tationem) «causa fit propria illius tribunalis, etc.».

Idem Rev.mus septimus Consultor optat quod hic dicatur inter haec tribunalia, aequa competentia, applicari praeventionem.

Rev.mus Relator respondit quod iam providet can. 1568.

Adunatio V^a
die 18 martii 1970 mane habita

Can. 1965: De conatibus adhibendis ad vitandam causam matrimonialem

Rev.mi quintus, secundus et primus Consultores proponunt suppres-sionem huius canonis, qui parum iuridicus est.

Rev.mi septimus, octavus, tertius, nonus et sextus Consultores volunt ut canon maneat in Codice ob rationes pastorales.

Modus: placet dummodo propositum dubium ita compleatur: «... et etiam si iudicio Conferentiae episcopalis laici idonei aequo iure admitti debent tamquam iudices» (Rev.mus quintus Consultor): placet n. 1; non placet n. 9.

3) Placeatne, in circumstantiis de quibus in dub. 2°, dare Conferentiae episcopali facultatem admittendi laicum tamquam iudicem unicum in causis nullitatis matrimonii.

Placet n. 2; non placet n. 8.

4) Placeatne, in iisdem circumstantiis de quibus in n. 2, dare Conferentiae episcopali facultatem admittendi duos laicos tamquam iudices in tribunali collegiali trium iudicium ad easdem causas definiendas.

Placet n. 2; non placet n. 8.

5) Placeatne, in iisdem circumstantiis de quibus in n. 2, dare Conferentiae episcopali facultatem admittendi unum laicum tamquam iudicem in tribunali collegiali trium iudicium ad eas causas definiendas.

Placet n. 8; non placet n. 2.

6) Placeatne laicus admissus tamquam iudex in tribunali collegiali ad causas nullitatis matrimonii definiendas possit fungi munere Praesidis.

Placet n. 2; non placet n. 8.

7) Placeatne facultas Conferentiae episcopalis constituendi iudicem unicum clericum, in causis nullitatis matrimonii in 1^a instantia, subordinanda sit impossibilitati efformandi, etiam cum uno iudice laico, tribunal collegiale.

Placet n. 5; non placet n. 3; se abstinent a sententia ferenda n. 2.

Adunatio VII^a
die 20 martii 1970 vespera habita

Rev.mus Relator proponit formulas cann. 1966, 1967 et 1968.

Can. 1966

«§ 1. Salvo praescripto canonis sequentis, causae nullitatis matrimonii demandantur tribunali collegiali trium iudicium».

Placet n. 8; non placet 2.

«§ 2. Huiusmodi tribunal collegiale erit vel tribunal dioecesis, vel tribunal regionale quod Conferentia episcopalis erigere potest ad normam can. 1547 bis § 1, pro suo territorio».

Placet n. 6; non placet n. 2; se abstinent a sententia ferenda n. 2.

Can. 1967

«§ 1. Quando nec in tribunali regionali collegium trium iudicum clericorum efformari possit, Conferentia episcopalis facultate instruitur permitendi in primo gradu constitutionem collegii ex duobus clericis et uno laico; et, si id quoque incassum cesserit, demandandi causas nullitatis matrimonii clero tanquam iudici unico».

Placet n. 6; non placet n. 2; se abstinent a sententia ferenda n. 2.

«§ 2. Laici ad huiusmodi munus assumendi fulgeant catholica fide et bonis moribus et insimul canonica scientia: praeferantur illi qui insuper usum fori habeant».

Placet n. 6; placet iuxta modum n. 2; se abstinent a sententia ferenda n. 2.³

Modus: dicatur «christiana fide» loco «catholica fide» (Rev.mi quintus et secundus Consultores). Placet n. 2; non placet n. 8.

³ Rev.mi septimus et primus Consultores dederunt votum negativum vel abstinuerunt a suffragatione circa introducendos laicos uti iudices in tribunali ecclesiastico pro causis nullitatis matrimonii. Ipsi petierunt ut in actis ponantur sequentes rationes ad dilucidandum eorum modum agendi, qui connexiones habet cum peculiari situatione regionum Medii Orientis in quibus illi Consultores degunt:

«1º Matrimonium habetur uti res sacra (Sacramentum) apud Christianos in Medio Oriente. Ideo maxima cum difficultate admittunt ut laicus de sorte matrimonii pronuntiare possit.

2º Christiani in Medio Oriente gaudent iuribus acquisitis “Regiminis Communitarii” seu “Regiminis Status personalis” i.e. facultas dirimendi causas matrimoniales (omnes). Haec facultas iam a saeculis concessa fuit (a diversis Guberniis) ipsi Communitati et quidem in eius Capite seu in Patriarcha. Rev.mi septimus et primus Consultores timent ne suum votum affirmativum — si dedissent — accipiat ab iis Guberniis, uti dispositio ad renuntiandum iuribus acquisitis de quibus supra.

3º Agitur de constitutione tribunalis tantummodo pro causis nullitatis matrimonii. Rev.mi septimus et primus Consultores non habent difficultatem admittendi laicos uti iudices pro aliis causis matrimonialibus v.g. (de separatione, etc.), etsi revera timent ne etiam haec concessio iniustum periculi constituere possit relate ad supradicta iura acquisita.

4º Quoad ceteras orbis catholici partes, iidem Consultores nihil excipiendum habent relate ad propositiones quae admissae sunt a maioritate Consultorum».

Can. 1968

«In secunda et ulteriore instantia tribunal erit semper collegiale et constitutum ad tramitem iuris communis».

Placet n. 8; non placet n. 2.

Adunatio VIII¹
die 21 martii 1970 mane habita

De proposita unione munerum defensoris vinculi et promotoris iustitiae

Rev.mus Relator memorat plures Consultores Coetus nostri in praecedenti Sessione probasse ut in iudiciis generaliter unus tantum habeatur repraesentans boni publici, scilicet promotor iustitiae qui accusare possit matrimonium cumulative cum coniugibus, illudque defendere cum ab alio accusatur. Defensor autem vinculi distinctus tunc tantum sit necessarius cum promotor iustitiae matrimonium accusaverit.

Rev.mus Relator, qui in praecedenti Sessione absens fuit, dicit se plures difficultates contra hanc propositionem habere una cum Rev.mis nono, quarto et sexto Consultoribus, qui in suis votis de hac re denuo egerunt. Immo, excepto Rev.mo quinto Consultore, omnes alii Consultores in suis votis, saltem indirekte, contra hanc propositionem egerunt, quia suas suggestiones fecerunt pro servando defensore vinculi in suo nomine et officiis.

Tantum Rev.mus quintus Consultor proponit in suo voto novam delineationem huius novi instituti, in quo munus promotoris iustitiae esset:

1° pro rei veritate dimicare;

2° probationes et argumenta pro matrimonii validitate allegare;

3° valorem probativum probationum vel argumentorum pro matrimonii nullitate obiective perpendere, et, quatenus opus sit, supplere.

Rev.mus Relator notat adesse contradictionem inter officium sub 1° et officium sub 2° quae non possunt eodem tempore exerceri, quia, si dimicare debet pro rei veritate, non semper dimicabit pro vinculo. Insuper officium sub 3° est stricte iudicialis («perpendere obiective valorem probativum»).

Rev.mus Relator addit dubia augeri si attendatur ad didascaliam Rev.mi quinti Consultoris: «Promotor iustitiae non amplius est pars. Erit primus adiutor iudicis. Eritque primus adiutor partium... Nescio an eius munus non reddit superfluum munus advocati, saltem ex officio nominati».

Ex tali delineatione, animadvertisit Rev.mus Relator, manat figura cuiusdam «Pantocratoris» qui, ex eo quod omnia facit — etiam ea quae inter se sunt opposita —, reapse nihil facit. Ipse aliquo momento itineris processualis, fere instinctu divinitatis, intelligit ubi stet veritas et deserit partem alterutram (vinculum vel actorem) et stat pro altera. Esset quaedam sententia ante sententiam!

Rev.mus quintus Consultor negat figuram ab ipso delineatam esse aliquod monstrum iuridicum, quia huiusmodi figura iam habetur in iure civili et bene fungit suo munere.

Rev.mus Secretarius animadvertisit quod usque ad Const. *Dei miseratione* (a. 1741) Papae Benedicti XIV non habebatur nisi promotor iustitiae. Qua de causa saepe in processibus nullitatis nullum habebatur contradictorium, quia partes concordabant vel colludebant. En ratio cur introducta sit figura defensoris vinculi, qui est vera pars in iudicio, dum e contra promotor iustitiae non est pars nisi ipse assumat aliquam partem in iudicio ad illam defendendam. Defensor vinculi munus habet defendendi vinculum, promotor autem iustitiae promovet iustitiam, id est quaerit veritatem. Sane in ipso nomine defensoris vinculi habetur aliquid artificiosum, quia semper dimicare debet pro vinculo tantum, quod quidem artificium non caruit difficultatibus. Pius XII vero, his difficultatibus occurrere intendens, declaravit defensorem vinculi dicere posse, in iudicio, se nihil animadvertisendum habere.

Rev.mus secundus Consultor notat quod per tot saecula, ante Benedictum XIV, causae habitae sunt sine defensore vinculi et etiam nunc non esset absonum redire ad illam praxim. Tamen figura defensoris vinculi manere potest, dummodo declaratio Pp. Pii XII intret in legem et praeterea defensor vinculi praebere possit in iudicio rationes nullitatis matrimonii, quando ipsi de tali nullitate certo constet.

Rev.mus tertius Consultor animadvertisit immutationem factam a Benedicto XIV fuisse aliquem progressum in iure, quia per defensorem vinculi habita est aliqua aequilibritas in iudicio: contra advocatum qui dimicat contra vinculum stat defensor vinculi qui defendit vinculum, quamvis ambo dimicare debeant pro veritate, sua quisque via et methodo. Ideo figura defensoris vinculi servari debet, salva tamen declaratione Pii XII.

Rev.mi quintus et secundus Consultores insistunt in peculiari natura processus matrimonialis qui non est contentiosus; si nullitas vinculi est clara, non est cur defensor vinculi contendat pro vinculo, et non est cur habeatur contradictorium.

Rev.mi Secretarius et tertius Consultor admittunt contradictorium certo non requiri ex iure naturae; attamen, ut solet in humanis, omne iudi-

cium supponit rem de qua contenditur non esse claram et ideo adducuntur probationes. Iamvero in contradictorio melius veritas in lucem ponitur.

Post discussionem fit haec suffragatio: placeatne servare distinctionem inter munera defensoris vinculi et promotoris iustitiae in causis nullitatis matrimonii:

placet n. 8 ; non placet n. 1.

Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

«Can. 1969. In causis nullitatis matrimonii intervenire debet vinculi defensor, de quo in can. 1586 sexies, qui officio tenetur inquirendi et exponendi omne quod adduci potest pro validitate matrimonii, non ita tamen ut debeat uti mediis suggestivis ac construere artificiosam defensionem; quod si post diligens examen, nullam habeat validam obiectionem contra petitam declarationem nullitatis, id patefaciat ».

Formula suffragatur per partes:

1^a pars: placet n. 8 ; placet iuxta modum n. 1.

Modus: dicatur «defensor vinculi dimicare debet pro rei veritate» (Rev.mus quintus Consultor): placet n. 2; non placet n. 7.

2^a pars: placet omnibus.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut alia paragraphus addatur in qua dicatur quod «Defensor vinculi pro rei veritate in suis animadversionibus supplere debet argumenta pro nullitate matrimonii».

Placet n. 2; non placet n. 7.

Rev.mus secundus Consultor instat ut saltem dicatur quod defensor vinculi *potest* supplere argumenta pro nullitate matrimonii, etiamsi non tenetur (placet n. 3; non placet n. 6).

His dictis finis Sessioni imponitur.

APPENDIX

SCHEMA CANONUM

CAPUT I

De causis nullitatis matrimonii

Art. 1 – *De foro competenti*

Can. 1960

Causae matrimoniales baptizatorum iure proprio ad iudicem ecclesiasticum spectant.

Can. 1961

Causae de effectibus matrimonii mere civilibus pertinent ad civilem magistratum, nisi ius particulare statuat easdem causas, quando incidenter et accessorie agantur, posse a iudice ecclesiastico cognosci ac definiri.

Can. 1962

Omnes causae matrimoniales, ad eos spectantes de quibus in can. 1557, § 1, n. 1, illa Congregatio vel Tribunal aut specialis Commissio exclusive cognoscit, cui eas Summus Pontifex in singulis casibus commiserit.

Can. 1964

§ 1. In aliis causis nullitatis matrimonii competens est:

1º tribunal loci in quo matrimonium celebratum est, vel

2º tribunal loci in quo pars conventa commorationem non praecarium habeat, quae ex aliquo publico regesto vel alio legitimo modo probari possit, vel

3º tribunal loci in quo de facto colligendae sint pleraeque depositiones seu probationes dummodo accedat consensus tum Ordinarii loci commorationis partis conventae, tum Ordinarii loci et praesidis tribunalis aditi.

§ 2. In casu de quo in praecedenti n. 3, tribunal, antequam causam admittat, exquirat a parte conventa num aliquid excipendum habeat contra forum aditum a parte actrice.

§ 3. Mutatis substantialiter circumstantiis aut locorum aut personarum de quibus in § 1, instantia ante conclusionem in causa potest transferri in casibus particularibus de uno ad aliud tribunal aequely competens, si accedat consensus partium et utriusque tribunalis.

Art. II – *De tribunali constituendo*

Can. 1966

§ 1. Salvo praescripto canonis sequentis, causae nullitatis matrimonii demandantur tribunali collegiali trium iudicium.

§ 2. Huiusmodi tribunal collegiale erit vel tribunal dioecesis, vel tribunal regionale quod Conferentia episcopalnis erigere potest ad normam can. 1547 bis, § 1, pro suo territorio.

Can. 1967

§ 1. Quando nec in tribunali regionali collegium trium iudicium clericorum efformari possit, Conferentia episcopalnis facultate instruitur permittendi in primo gradu constitutionem collegii ex duobus clericis et uno laico; et, si id quoque incassum cesserit, demandandi causas nullitatis matrimonii clero tanquam iudici unico.

§ 2. Laici ad huiusmodi munus assumendi fulgeant catholica fide et bonis moribus et insimul canonica scientia: praferantur illi qui insuper usum fori habeant.

Can. 1968

In secunda et ulteriore instantia, tribunal erit semper collegiale et constitutum ad tramitem iuris communis.

Can. 1969

In causis nullitatis matrimonii, intervenire debet vinculi defensor, de quo in can. 1586 sexies, qui officio tenetur inquirendi et exponendi omne

quod adduci potest pro validitate matrimonii, non ita tamen ut debeat uti mediis suggestivis ac construere artificiosam defensionem; quod si post diligens examen, nullam habeat validam obiectionem contra petitam declarationem nullitatis, id patefaciat.

Can. 1973

Ut causae matrimoniales quantum fieri potest evitentur, iudex, antequam causam acceptet, media pastoralia adhibeat, prout res sinit, ad coniuges conciliandos vel forte ad matrimonium convalidandum.

